

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0022

0020

0026

0016

0031

0011

0071

0121

0521

1021

Ende

Anfang

loco accipiunt, in quo moniales Beginae et vetulae, et monachi et sacerdotes, et quique devoti fideles quaerunt confortationem in sua militia spirituali, et gratiae Dei augmentationem.

XXVIII. Nostra militia est difficilior. Nam apud reges et principes et in proeliis confertur militia cum quodam triumpho et gaudio et cum solatiis, haec autem est tota seriosa et poenalis, nulla gaudia et solatia habens, sed plurimas miserias.

XXIX. Militia haec est majoris audaciae. Ille enim, qui mare transit audacter, vitam suam morti exponit magis quam ille, qui ad bellandum vadit, vadit enim armis munitus, et cavere potest pericula, et omnino fugere praesidium quaerens. Sed haec omnia non prosunt militi sancti sepulchri contra sua pericula tam in mari quam in terra sibi imminencia, oportet enim eum sic esse inter paganos, ac si esset insensibilis, et percutienti non resistere, ut vere illud possit dicere Prov. 4. 23: percusserunt me, et non sensi, vulneraverunt me, et non dolui. Sicut patet fol. 77. B.

XXX. Militia illa est remotior, in medio mundi. Et illi milites, qui vadunt ad sanctam Catharinam, attingunt tres principales partes mundi: Europam, de qua exeunt; Asiam, quam pertranseunt; Africam, quam circa Alexandriam attingunt. Alii milites prope manent pro sua militia.

XXXI. Nostra militia similior est et uniformior. Nam milites alii, etiam in eodem bello percussi, jactant se, et unus alteri se praefert, et ab aliis quidam aliis praeferuntur, meliores esse milites, et militiae gloriam melius meruisse, et nonnumquam in curiis regum graves inimicitias contra se ob id habent: his frascis omnibus et sordidis laudibus caret nostra hierosolymitana militia, quia omnes aequaliter eam merentur, et nobilis miles factus non minus est miles, quam rex ibi percussus.

XXXII. Illa nostra militia est communis, sic, quod omnes nobiles ibi percutiuntur de oriente et occidente, senes et juvenes.

XXXIII. Haec nostra militia est securior, quia omnia, quae ibi aguntur, sunt virtuosa et divina, quod longe abest aliis.